

pone granum purgatum, non attendis, quia de grano purgato, frumentum cum palea nascitur, sine qua tamen seminatur. Deinde, cur sit in propagine natorum spiritalis generationis, ut de baptizato baptizatus nascatur, cum videas, de circumciso non nasci circumcisum?

Modus  
propagationis  
peccati  
Originalis.

46. Ceterum de modo atque ratione propagationis huius, variè semper quaesitum & à plerisque primùm disputatio non tam intricata, quàm minùs necessaria, de propagatione Animæ fuit instituta: nonnullis, ex traduce eam propagari in liberos: alijs verò divinitùs eam infundi contendentibus:

47. Deinde verò, & cum primis à Magistro sententiarum valde anxie fuit quaesitum: An peccatum Originis, per prius insit animæ, per posterius verò Corpori: an verò vice versa, per prius corpori, per posterius animæ: Item in qua parte hominis magis, in qua minus illud hereat. Mag. Sent. l. 2. dist. 31.

48. Vtriusque quaestionis plenam & omnibus numeris absolutam decisionem presentis vitæ conditio nobis forte non largitur: Vndè multi magni nominis Theologi maluerunt ἐπιπέσει quàm certi quid asseverando perplexis, inutilibus ac ex parte obscenis etiam quaestionibus ansam præbere.

49. Interim tamen ut aliquid dicamus, de prima quidem quaestione sic statuimus. 1. Eam physi-